QUAEDAM DE CONGESTIONE VENOSA ET DE MORBIS INDE PROFICISCENTIBUS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XV. M. JANUARII A. MDCCCXLII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

HENRICUS MOCKEL

RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

DAN. SAALMANN, med. et chir. Dr.
P. J. SCHUNK, med. et chir. Dr.
C. E. PLASMAN, med. et chir. Cand.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

PARENTIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS

HASCE

LITTERARUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

Hyperaemia organi cujusdam in quavis parte vasis sanguiferis praedita obvenire potest. Cujus symptomatis causa vel in arteriarum vel in venarum systemate vel in utroque usque quaerebatur, ita ut hyperaemia vel eo fieri posset, quod major sanguinis copia ad organon afferretur, quam venis ad cor reduceretur, vel statu quodam utriusque systematis, qui spasmo appropinquaret. Hyperaemia ex nimia arteriarum actione nominabatur congestio activa; sed venis ita torpentibus vel obstaculo quodam impeditis, quominus normalem copiam, qua par est vi, ad cor remittere valerent, congestionem passivam venosam vocabant. Nomen autem congestionis illi organi cujusdam conditioni dare, qua venarum impedimento sanguis male ad cor remittatur, falsum est (congestio enim a verbis cum et gerere derivatur), melius hic sanguinis in venis status nominatur stasis, stagnatio, vel etiam hyperaemia, de quo hic sermo est.

Quod minor venis quam arteriis membranarum est crassities, ac majorem sui luminis ad parietes rationem venae agnoscant, quod magis cordis vi subtractae sint, ac denique quod majora sanguini redeunti a pondere cruoris proprio non minus, quam a nixu musculorum

diuturno, vel a nimia istorum quiete atque inertia, vel ab ipsius respirationis impedimentis et diversis causis morbosis obstacula ponantur, frequentius venarum quam arteriarum cursus sanguinis impeditur.

Itaque tumor venas, tenuibus membranis praeditas, arteriis magis comprimit. Sic moles uteri gravidi, venas comprimens, saepius in feminae vel uno vel utroque crure hyperaemiam atque varices inducit. Partu autem absoluto varices disparent, sed frequentiore graviditate venae, saepius brevi annorum spatio tumidae, debilitantur et varices permanent. Eodem modo visceribus obstructis varices ad anum generantur. Similes effectus fasciae et vestes arctiores in corpus exercent.

Infarctus autem pulmonum, aut respirationis obstacula, quae toti venarum sanguini obstant, cor dextrum vel aliquam totius corporis partem afficere possunt, ut sub longo acutoque cantu venas jugulares, vel faciei tumidas videamus. Diuturna deinde ac spasmodica musculorum, quos inter venae decurrunt, contractio, nixus repetitus, ponderum graviorum gestatio. Nimia tractus intestinalis extensio aut per cibos ingestos, aut per flatus tenorem sanguinis venosi infringit.

Sed major est spasmorum in reditui sanguinis obstando potentia. Itaque frigore febrili, terrore insigni cutis constricta sanguinem e vasis expellit et sanguis majores modo ramos internos transcurrens angustias producit.

Congestiones activae iteratae etiam congestiones passivas proferunt, quum postremo vasa debilitentur et dilatentur, ut pediluviis, clysteris calidis, carbonibus accensis, repetitis fieri solet. Omnia, quae vasa partis debili-

tant, uti contusio, concussio, moram cursûs eorum efficiunt.

Quibus legibus, maxime mechanice efficacibus, vis naturae medicatrix usque repugnat, abs qua obstaculum leve, ut pondus, cruorem detrahens, convincitur, quia vasa eo magis restaurantur, quo magis sanguis pondere accumulatur.

Tametsi in hominibus decrepitis, vel adaucta venositate laborantibus, vel quacunque causa vasa debilitantur, sanguis tamen venosus in pedibus, solo pondere ita accumulari potest, ut ibi varices frequentissime appareant. Nec nego illas causas sanguinis reditum per venas retardantes, vel etiam intercipientes, tam vehementes esse, aut tamdiu perdurare posse, ut varices, hydrops aliique morbi nascantur.

Bouillaud (1) jam demonstravit, hydropem passivum, illum quidem, quem auctores debilitati universali atque atoniae vasorum lymphaticorum assignant, maxime a circuitu sanguinis venosi cohibito originem ducere. Memorabile est, hepatis tumorem sequi posse hydropis duas species. Nam in abdomine hydrops apparet, si venae portarum sanguis, qui etiam propter vasa capillaria duo tardius fluit, obstaculo tenetur; sin vero, ubi vena cava inferior sita est, hepar tumescit (inflammatione vel alio morbo aliquo), hydrops in pedum, crurum sursumque sita tela cellulosa existit.

Varices quoque, tenore in venis impedito, proferuntur. Causam varicum proximam alii in mechanica venarum dilatatione, alii in firmitate tunicarum amissa, alii

(1) Archiv. géner. T. V, p. 34.

denique in praegressa phlebitide versari censent. Briquel (1) abdicat quidem rationes mechanicas, censetque affluentia humorum parietes venarum primum emolliri, deinde spissescere, denique hypertrophia teneri. Revera varices mechanica dilatatione procreari possunt, sed relaxatio parietum, et emollities paene semper ex venoso sanguine adaucta prodeunt. Itaque hic morbus postea accuratius explicandus est, sed prius memorabiles quosdam casus exponamus, in quibus morbi memorati causam vi circulationem mechanice retardanti debent.

In cordis morbis, imprimis dextri, et venae capitis, ut cl. Naumannus refert, et vena azygos, quae casu quodam venam ascendentem aequabat, maxime dilatatae inventae sunt. Idemque tradit, in cordis morbis intumescentiam hepatis lienisque periodicam esse solemnem, quae ictero critico finem faciat. Hepate inciso ater, inquit, cruor emittitur, morbumque levant haemorrhoides. Unde videri licet, mechanicum cordis obstaculum hepatis functiones perturbasse et venositatem adauctam, quae dicitur, prodiisse.

Idem refert, Portal venam azygon hominis, qui diu dyspnoea chronica et postremo hydrothorace laborasset, varicosissimam invenisse et alia. (Naumann, Hdbuch. d. mediz. Klinik. Bd. II.)

VENOSITAS ADAUCTA.

Venositas adaucta est nimia sanguinis venosi copia, ita quidem ut, si sanguinem venosum cum arterioso comparemus, plus venosi, quam solet, adsit.

---

(1) Archiv. géner. T. VII. p. 200.

Venae in hoc morbo sunt nimis repletae, usque ad vasa capillaria retrorsum extensae, et novae rursus ex vasis capillaribus excrescunt, quae tortuosae decurrunt. Sanguis ipse infectus est, vel rebus jam consumptis et inutilibus, ut Heusinger, Kreysig docent; vel gasis carbonici nimia copia, quod Scudamore exploravit; vel non assimilatis corpori alienis rebus, quae ostio quodam exceptae sunt; vel aëre hydrocarbonico, ut alii dicunt. Idem nigrior, decolor est lentiusque coagulatur, qua re elucet, sanguinem difficilius in organa solida commutari. Coagulum autem est liquidum et in magna seri copia natat. Sanguis, facile putrescens, saepius bullas continet, quod Cl. Naumann affirmat. Pigmentum rubrum ab eo facile sejungitur. Ad corpus nutriendum est ineptus. Color sanguinis est vel lividus vel cerasinus, vel in vena portae e fusco ruber, quare Cl. Autenrieth conditionem sanguinis biliosam nominavit. Hic color e particulis corporis dissolutis oriri fertur.

PROPENSIO AD HUNC MORBUM.

Huic morbo maribus magis obnoxiae sunt mulieres, quippe quarum vita gangliorum abdominis et venae praevaleant. Sed menstrua venosis secretionibus, ut assolet, adscripta, morbum infringere possunt. At viri occasiones hunc morbum gignentes saepius oppetunt.

Deinde homines annis provectiores sunt obnoxii: foeminae anno aetatis quadragesimo usque ad quinquagesimum, viri anno aetatis quadragesimo quinto usque ad sexagesimum.

Tum infirmitas quaedam abdominis aut pulmonum, sive innata sive acquisita; itaque scrophulosis quoque hunc sanguinis morbum adducere solet.

Denique homines pastoso laxoque habitu et conditione animi melancholica, aut phlegmatica, opportuni dicuntur.

Puchelt discernit constitutionem phlegmatico-venosam et atrabilariam. Hanc constitutionem cl. Naumann in eo consistere ait, quod morbus venosus ad hunc gradum creverit, quo sanguis arteriarum venarum sanguini plus vel minus similis sit, musculi vero sint laxi; Kreysig vero hanc venositatem recentiorum adauctam appellat. At illa constitutio ex sententia Jahnii est, ubi leukohaemia conjuncta sit cum morbo supra descripto. Haec omnia in morbum ipsum cadunt, nec vero in constitutionem.

Aetiologia. Praecipue venae e corpore efferunt consumptas et inutiles materies, utpote quas partim ad pulmones, partim ad lienem et hepar perducant, ubi sanguis venosus, postquam in vasa capillaria pervenit, a partibus alienis liberatur, insuperque nervorum, atque (in pulmonibus) etiam aëris vim percipit. Praeterea, quae particulae alienae supersunt sanguini arterioso admixtae, secretionibus cutis, tunicae mucosae, renum foras expelluntur. Ubi vero haec organa, imprimis hepar lienque et pulmo, muneri non bene praesunt, sanguis venosus augeatur, necesse est.

Alia autem origo est, quum materies sanguini noxia in corpus recepta sanguinem ita permutat, ut sanguini venoso similis reddatur (1).

---

(1) Quum quid lien corpori conducat, obscurum sit, Ill. Naumanni sententiam de eo paucis verbis referre in animo est. Arteria lienis venas circumdat, quare ibi sanguis foetui similis redditur. Lympha quoque excipitur liene et sanguini similior

Quum in hominibus decrepitis, quippe quibus totum systema vegetativum afflictum sit, aegritudines venosae maxime vigeant, concludere licet, sanguinem venosum aegrescere majore consumptarum rerum copia, quae non tam facile (secretionibus senum afflictis) ejiciantur, nec chylo pravo reficiantur. Hominum enim validorum, etsi venositati adauctae obnoxiorum, aliena res vi vitali reagente e corpore removetur. Liceat causas singulariter adumbrare. Venositas adaucta a febribus incipere potest, ubi sanguinis dissoluti sequela est. Ill. Naumann contendit, ex hac praetereunte, permanentem venositatem stagnationem sanguinis efficientem excoli posse. Qua cum sententia judicium Cel. Wolff convenit, dicentis, Berolini permultos homines, ex quo cholera adfuisset, dyscrasia venosa ejusque symptomatis, vel aegritudinibus haemorrhoidalibus, arthritide, vel varicibus laborare. Huc accedit sententia cl. Jahn, ex qua febres typhosae, pestis, febris flava, typhus etc. nihil sint aliud, nisi dyscrasia venosa celeriter accensa. Causa sanguinis in his febribus corrupti est contagium, quo in corpus suscepto sanguis quasi fermentatur et sic mutatur, ut sanguinis naturam

---

redditur. Lien vero, coctione peracta, sanguine est largior, sed nimia sanguinis abundantia, quominus refluat, impedit. Quo aequatio illa perturbatur, et quidem gradatim, primum lympha non bene assimilatur, postea autem hepate, ut lienis actionem subeat, ita luctante, ut debilitetur, sanguis non bene mundatur. Experientia quoque docet, lienem, febri intermittente tumidum, primo morbos leucophlegmaticos postea melancholico-cachecticos excitare. — Revera si structuram lienis mente volvimus, perspicimus, membranis vasorum hic tenuissimis fluida illa non prorsus sejungi, immo commisceri; quo fit, ut globuli lymphae et sanguinis vita propria melius nutriantur.

supra descripti accipiat. Quum igitur his febribus n. sympathicus et organa collatoria debilitata sint, necesse est, dyscrasia ista permaneat.

Effluvia regionum humidarum, in quibus aqua stagnat, imprimis ubi plantae putrescunt, effluvia multorum hominum carceratorum et alia, sanguinem simili modo inficiunt. Insuper his locis pulmones, ad hunc morbum provocandum gravissimi, supprimuntur. Inter omnes enim constat, aërem humidum et calidum pulmones supprimere, siccum autem et frigidum excitarè. Nec aliter in regionibus tropicis, ubi morbi venae portae, et imprimis hepatis, sunt frequentissimi (Heusinger et Coopland auctoribus), morbus ille nascitur, etenim hepar pulmonum functiones suscipiens postremo una cum pulmonibus turbatur. Experientia etiam docet, sanguinem arteriosum, quum aër purus deficiat, diminui, et conditionem illam venosam increscere.

Potores itidem sanguine venoso adaucto laborant. Quamquam alcohol ad sanguinem corrumpendum fortasse aliquid confert, tamen imprimis irritationem sympathici nimiam, quam atonia sequitur, maxime accuso, quare et chylus depravatus et secretiones turbatae sunt. Maxime quoque hepar et pulmones hac irritatione potus nimia aegrotant. Itaque scorbutus potatorum cum morbo hepatis semper conjunctus. Pulmo autem jam prius afficitur, quia spiritu ibi excernendo sanguis usque congeritur. Homines, qui in esca immoderati, tamen vitam otiosam degunt, saepissimeque sedent, itidem functiones organorum abdominis propter cursum sanguinis turbatum praepediunt, et eo magis, quod in ipso venae portae systemate sanguis ad stagnationem inclinat, quod his per vasa capillaria

fluens tardius currit et sanguinis affluxus per venas, quae hic magis quam alibi musculorum motu egent, non promovetur. Ciborum quoque nimia copia et inde concoctio prava impediunt, quominus sanguis bene paretur, et a multis alienis rebus liberetur.

Hic locus est aptus ad aliquid de chylo dicendum. Quam multum conferat ad sanguinem venosum augendum et corrumpendum, videmus in hominibus, qui cibis pinguibus aut farinosis abutentes, saepissime scorbuto laborant; videmus pariter in aliis scrophulosi affectis, qui aetate provectiore morbo, de quo disseritur, corripi solent.

Ill. Naumann l. c. contendit, hunc morbum omnino ab excretionibus venosis prohibitis proficisci. Organa enim verisimile, quia lieni, hepati et pulmoni solemnis sanguinis copia affluit, cujus parum excernitur, sanguine venoso impleri; quamvis Puchelt auctore organa repleta aliquamdiu functioni jam praesint (quod de reactione fortasse est dictum); postea tamen supprimuntur, ita ut denique tarditas totius corporis oriatur. Omnes autem fere secretiones corpori particulas quasdam, consumptas vel inutiles, demunt; at imprimis abdomen ad sanguinem venosum mutandum et diminuendum pertinet (Kreysig et al.) Omnia itaque secretionum, imprimis autem abdominis organa congestionibus venosis affici possunt.

His adnumerantur menstrua, quibus suppressis statim lien sanguine impletur. Quae res facillime intelligi potest, si, quod Broussais dicit, animadvertimus: Quodcunque sanguinis cursum in abdomine excitat, structuram lienis commutare potest. Nam sanguis, si abdominis organa irritentur, ibi confluat, ubi minime resistatur, necesse est. Quia resistit hepar, vena porta et lien dilatantur.

Stagnatione sanguinis venosi, lienisque functione turbata, ut supra demonstravi, dyscrasia jam dicta profertur.

Venositatem adauctam comparare possumus cum illo sanguinis statu animalium, quae per totam hiemem stupent. Sanguis enim arteriosus est e rubro fuscus et venosus, multum seri et parum fibrinae continens. Idem lentius concrescit, et crassamentum est infirmum. Sanguis in truncis majoribus accumulatus est, et bestiae magis eo abutuntur, quam reficiuntur. Respiratio enim et secretiones sunt imperfectae, et quum sensibilitas corporis deest, concludere licet, vim nervorum organicorum in sanguinem esse diminutam. Itaque in testudinibus venas majores, ut venam cavam, in delphino autem et phoca venam portam dilatatas invenimus, quibus in animalibus sanguis niger praevalet.

QUOMODO MORBUS INCRESCIT.

Primum causae ejusmodi sùnt, ut saepissime permaneant.

Torpor quoque abdominis cum aetate procedente, opportunitas ergo ad hunc morbum procedit. Sin morbus quendam gradum nactus est, organa huic morbo gravissima congestione ita mutantur, ut morbus usque incrementum capiat. Ill. Naùmann contendit in libro jam citato stagnationem sive tardiorem sanguinis cursum esse primum, tum infarctus, quos „Anschoppung“ vernacula dicit sive dilatationem venarum oriri, denique obstructionem sequi. Venarum enim parietes incrassantur, vel lumina fibrina deposita excaecantur, quod in varicibus observari licet, vel organa ipsa, rebus minus assimilatis difficiliusque animandis impleta, perverse nutriuntur: quod Ill.

Naumann verbo paratrophia recte significat, quia inter telam res alienae deponuntur, tela ipsa non adaugetur, ut in hypertrophia. Quod si organa colatoria, quae dicuntur, prehendit: necesse est, functio minuatur, sanguis autem-venosus crescat. Jahn putat, sanguinem arteriosum in inflammatione, itidemque sanguinem venosum in hoc morbo sistere posse, quod inflammationes venosas nominare solet.

Ex causis, quas supra enumeravi, haec incipit. Ut si chylus malus sanguini adducitur, in quem oxygenium et nervorum actio non influit, hepar quidem vel aliud organon plus plusque excernere cogitur, postea autem reactione laborem non aequante minus et imperfectius excernit, et illae congestiones passivae et mutationes fiunt. Interea lien cum hepate intime connexus afficitur, chylus etiam imperfectior redditur, et denique totus sanguis aegrotat. Eodem modo sympathismo vel antagonismo aegrotat alterum una cum altero organo. Sic cutem pallidam, siccam, reactione excepta, in hominibus plethora abdominali laborantibus observamus, scilicet quia sanguinis arteriosi minus recipiunt. Idem efficiunt aliae causae et quidem eo magis, quum colatoria directe afficiantur, ut spiritu. Si autem contagia vel effluvia in corpus recepta sunt, morbus increscit, quod quasi fermentatione functus sanguis mutatur, priusquam e corpore excerni potest. Tum demum organa sanguinem colantia morbo occupantur, ut intestinum vel pulmo, lien, hepar in typho Hillebrandii. Denique sanguis venosus ut virus narcoticum, nervos afficere dicitur, quod si verum, non est mirandum, debilitatem et deliria in typho, similibusque febribus esse magna. Etiam haec virium prostratio, quo-

minus materies nocentes e corpore propellantur, impediens, ad morbum hunc confert augendum.

AEGRITUDINES.

Sanguine venoso praevalente et male mixto, multae inde aegritudines emergunt, quae quanquam inter se non differunt, nisi gradu atque ratione, qua e corpore removeantur, tamen plus aequo disjunguntur, nam conditio sanguinis corrupti vel etiam dissoluti omnibus est communis. Cursus quoque sanguinis in omnibus eodem modo turbatur, nempe activis aut postea passivis congestionibus. Nec minus febris ad omnes has aegritudines accedere potest. Quum enim febris tantummodo ex morbo sanguinis, aut evolutione aliqua corporis provenit, itaque nihil est aliud, nisi reactio contra irritamentum alienum, aut actio nervorum sponte adaucta: tum haec dyscrasia, imprimis si subito vel nimia existit, febres accendere potest; nec non si varices subito evolvuntur, ut in truncis majoribus filo deligatis (Naumann l. c. de varicibus.)

QUOMODO ET QUOD ORGANÓN CORRIPITUR.

Quum materies peccans aliqua e corpore est propulsanda, non potest fieri, nisi congestione et secretione in vasis capillaribus, ubi nervorum subactione et sanguine inter se influentibus, omnes secretiones incipiunt. Nec aliter, atque in cute, quum contra irritamentum ut vulnus reagitur, ruborem, turgorem vitalem, calorem, irritabilitatem nervorum, dolore vel pruritu docente, observamus. Satis constat, haec signa a nervis pendere. Idem de normali congestione et secretione dici potest (1).

---

(1) Normalis nervorum vis in arterias et vasa capillaria, quod congestiones et secretiones attinet, hisce artis medicae principiis apparet:

Materia vero peccans nervis, qui sensui praesunt, centrum cerebro-spinale irritat, unde actio in nervos, motioni praefectos reflectitur. Itaque congestiones et secretiones oriuntur. Exinde symptomata plurium aegritudinum in venositate adaucta ducunt: in cute sudores locales, ut pedum, axillarum, scroti et perinaei, ubi una cum sudore plus pigmenti secernitur.

Quum in tunica mucosa initio mucus, postea congestione vehementiore sanguis secernitur, unde haemorrhoides mucosae et sanguinolentae sunt. Quia paulo post congestionem, non inter congestionem ipsam secernitur, tamen duo stadia (congestionis et secretionis) sunt sejungenda.

Per tunicam serosam et fibrosam arthritis ejicitur. Haemorrhoides et arthritis eodem ex fonte, vena portae proficisci possunt. Quam similes sint, praeter alios hic casus in Policlinico Bonnensi observatus probabit:

Mulier nomine Quaestor, lochiis suppressis aegro-

Quod spectat ad congestiones: Vasa capillaria irritamento quovis extendi, truncos autem coarctari, J. Müller contendit. Sic sanguine venoso et acri congestiones oriuntur. Pudicitia (nervorum irritamentum) et alia pathemata ruborem in genas eliciunt. Pet. Frank de illa re verba facit haec: „Frequenter certe brachii, a paralysi correpti, arteriam alterius brachii illa longe debiliorem observavimus: et exempla sunt, ubi pulsus in parte paralytica non modo debiliores, sed et simul lentiores fuerunt". Et sequente pagina „affectus spasmodicos, convulsiones, atoniam, paralysin ad vasa, nec non ad venas, quibus nervi itidem essent, non minus, quam alibi locorum subnasci." P. Frank Epit. lib. VI. pag. 6 et seqq.

De secretione in memoriam revoco, salivam odore ciborum largiorem saepe elici. Etiam pathologia secretionem a nervis dependere eo nos docet, quod in multis morbis cum secretione sensibilitas adaucta est.

tans, nemine de familia arthritide laborante, crurum rigore affecta erat, qui sudore, ut verisimile, arthritico, tam bonus est redditus, ut illa e lecto iterum surgere posset. Tamen toto corpore, ut historia morbi docuit, tamdiu male se habebat, donec sanguinatione recti, dies quinque permanente, convaluit. Sed non multo post, femina sanguinare desinente prius malum rediit. Frustra studebant medici haemorrhoides revocare, immo arthritis non dubia, ita ut mane vehementer cruciaretur, prorupit.

Sunt qui dicant, morbos utrosque non esse diversos, nisi quod materies morbosa in altero morbo per venas, per arterias autem in altero e corpore ejiciatur. Quae verba cl. Stieglitz de haemorrhoidibus facit, ea huic sententiae, ex qua haemorrhoides per venas ejiciantur, repugnant: „Ut narium et pulmonum sanguinationes, inquit, sic haemorrhoides aetate provectiore eodem nixu et eadem necessitate naturae oriuntur". — Qui nixus naturae reactio modo nervorum est, quae in vasa capillaria exercetur. — „Organon sanguinans, pergit Stieglitz, id esse, quod ex harmonia, validas corporis partes conjungente, recesserit, seu quod organon evolvatur, seu quod evolutione jam peracta in harmoniam non sit reducta. Illas sanguinationes inter se similes esse argumentatur, et periodico decursu, qui omnibus communis sit, et colore sanguinis arterioso, qui in recto demum ater fiat. At periodicus decursus probat nihil, quippe ex quo febris intermittens et haemorrhoides quoque inter se similes existant. Reactio enim systematis vegetativi fere semper intermittens vel remittens est. Color autem sanguinis ruber nihil aliud docet, nisi sanguinem arteriosum nondum ita corruptum esse, ut atrum colorem prae se

ferat. Nam quod in vena portae corpori alienum gignitur, in circulum sanguinis recipitur, unde cum rubro sanguine ad totius corporis partes, itaque etiam ad intestina crassa, ubi nixu corporis excernitur, corde repellitur. Itaque nec colore sanguinis rubro, nec intermittente sanguinationis conditione sententia probari non potest, haemorrhoides non a venosa sanguinis conditione proficisci. Ipse contendit, venas haemorrhoidales venam cavam, non venam portam inire. Quum igitur materies peccans venis ad rectum duci non potest, arteriae illam ferant, necesse est, quo fit, ut sanguis ruber sit. Capita haemorrhoidum, pergit, sanguine sub tunicam mucosam secreto formari, quia incisa minus sanguinis emittant. At cl. Naumann et alii dicunt, haemorrhoides inter vasa capillaria sitas, loculos esse, in quos humidum quodque per arterias injici possit. Ex injectione autem ego quidem concludo, capita haemorrhoidum vasa capillaria dilatata esse. Censeo quoque, haemorrhoides initio, quo a muco secreto incipiunt, modo congestionem activam esse, qua aliena res, in systemate venae portarum nata, non aliter ac sudore scroti, pedum etc. foras expellenda; postea autem congestione vehementissima, vel perdurante, primordia venarum ad sacculos extendi, quippe quod in hoc morbo sanguinis frequens sit. Nihil probat in haemorrhoidibus venas extendi, nam in omnibus quoque podagricorum paroxysmis insignior intumescentia solemnis.

Pulmonum quoque orgasmi et congestiones activae et inde sputa cruenta, asthma, quod haemorrhoidibus suppressis, asthma haemorrhoidale dicitur, secretioque bronchiorum larga, inflammatio etc. hoc sanguinis morbo effici possunt.

Si autem ad hepar sanguis morbosus congeritur, polycholia et diarrhoea existunt, ut in graviditate, ubi plethora abdominali, quarto graviditatis mense orta, largiorem bilis secretionem videmus Id quod in terris, sub coelo fervido sitis, ubi pulmones minus aguntur, fieri potest.

Etiam alibi corporis congestiones existere possunt. Adnotandum autem est, has congestiones facile in inflammationem transire, ut peritonitis lochiis suppressis frequens est; si lochia, quae partim ut omnia abdominis secreta, partim quia, casu illo feminae Quaestoris docente, conditionem gravidorum venosam tollunt, secretionibus venosis adscribenda.

Quod organon seu irritamento seu debilitatione seu evolutione seu sympathismo seu antagonismo ex harmonia organorum recessit, congestione corrumpi potest. Nec obstacula circuli sanguinis supra memorata obliviscenda sunt, ut si cor dextrum aegrotat, venosae capitis congestiones oriantur. Hepar facilius corripitur, quia materies peccans, in vena portae saepissime orta (ubi sanguis bis per vasa capillaria fluens tardius currit), ad hoc organon (attractione viva, ut cl. Oken contendit) pertinet. Sic pulmones quoque se habent. Ex hepate enim sanguis in pulmones ducitur, quorum in vasa tenera vim nocentem exercere potest.

Ubi autem congestiones activae locum diutius habent, facillime congestiones passivae prodeunt. Nam vasa capillaria post dilatationem, quam in oculo hominum plethora abdominali laborantium observare possumus, ita debilitantur, ut postremo quasi venas se ostendant. Quod

hoc magis fiat, necesse est, quo magis sanguis morbosus vasa relaxat (1). Venarum primordia ita tument et ita prolongantur, ut distortae currant. Vasis autem debilitatis sanguis tardius fluit, quod videre possumus in partibus contusis. Valida enim vasa, ut supra demonstravi, cursum sanguinis accelerant (venae elasticitate quidem). Insuper stagnatio augeri potest vasorum et organorum degeneratione. In hoc enim sanguinis morbo mox organa et vasa emolliuntur, mox organa false nutriuntur, ita ut paratrophici reddantur, mox organa aut venae extensae inflammantur et obstruuntur.

Quum igitur sanguis venosus in vasis capillaribus hepatis vel pulmonum, vel alibi stagnet, in venis, quae in ea organa sanguinem mittunt, etiam sanguinem stagnare oportet. Non potest dubitari, quin haec stagnatio imprimis in primordia venarum tenuissima máximam vim habeat; quo fit, ut haec primo extendantur, postea autem trunci. Itaque ex hepate laborante lien, vel alia abdominis organa sanguine tument. Si sanguis in liene stagnat, praecipue arteriae breves plus sanguinis excipiunt, quo vasa capillaria et venae extenduntur. Pulmone autem laborante cor ipsum majore vi luctans aegrescere potest; et venarum primordia in capite vel cute vel alio loco tument. Ergo quia in vasis capillaribus sanguis stagnat, etiam in truncis retardatur.

Sic in vasis minimis congestio activa et postea passiva, vel stagnationes ex nervorum actione et resolutione eveniunt. Potestne vero in majoribus truncis sanguis sine obstaculo congeri?

---

(1) Venarum tunica intima ex Andralio emollitur.

Kreysig contendit: »die Stockung des Bluts ist eine innere lebendige Evolution des Bluts, indem der erkrankte Blutstrom sich über Zeit und Mass zu behaupten sucht.« Non prorsus mihi clarum est, quid his verbis putet. His enim verbis sanguini voluntatem attribuit. In ovo foto nimirum propria vis sanguinis sine corde movetur, quae actio verisimiliter attractione et propulsatione sanguinis globulorum fit. Simili modo globuli ab parietibus vasorum attrahuntur, sed haec vis, etsi in hoc morbo adaucta, tamen debilis et invalida est, cursui sanguinis vehementi in vasis majoribus resistere. In ipsis autem vasis capillaribus, ubi sanguis et tela organorum intime se attingunt, haec vis ad sanguinem retardandum multum conferre potest.

Ubi a sanguine congestio in truncis non pendet, fortasse a venis ipsis congestio provocatur. Clarus ait, spasmo vegetativo cursum sanguinis paene tolli. Etiam quum venae tantummodo majores tunica fibrosa instructae sint, apparet, quam paulum ad sanguinem promovendum conferant. Sed venas nihil nisi tubulos esse, quod Stieglitz putat, omnino est refutandum.

Etenim Burdach contendit, venas vim in cursum sanguinis exserere, quia sanguine diverse impletae sint, et quia frigus, timor terrorque aliquantum celerem contractionem efficiant.

Magendie quoque experimenta, elasticitate vasorum circulum sanguinis accelerari demonstrat. Hanc elasticitatem quidem venae perdere possunt, unde sanguinis frictio, itaque mora augetur. Denique mollities tunicae intimae vel inflammatio subintrat. Haec de venis earumque vasis capillaribus.

Arteriarum autem vasa capillaria quomodo mutentur, in facie potatorum licet observare. Rubor sublividus vel subflavus initio aequalis, sensim sensimque in rete vasorum, quae capillaria fuerunt, procedit. Nimirum haec vasa capillaria ab resolutione nervorum, quae spiritu et sanguine morboso gignitur, eodem modo dilatantur, ut, si bestiarum nervos carotidem cerebralem circumdantes dissecamus, torpor cerebri et apoplexia intra vasa efficitur.

Videmus quoque interdum in oculo hominum, plethora abdominali laborantium, ambas activam et passivam congestionem conjunctas. Nam plura vasa capillaria jam sunt ita dilatata et prolongata, ut crassa atque flexuosa et subnigro colore, uti jam ostendi, decurrant; sed oculus, causis sanguinem active congerentibus, vasis novis valde rubet, quae postea iterum evanescunt.

Itaque in hoc morbo ut ubique congestiones activae ab irritamento, passivae ab nervis organicis debilitatis vel resolutis ortum ducunt. His congestionibus passivis multi morbi nascuntur:

In capite apoplexia intra vasa, venosa, serosa similesque conditiones;

In pectore sputa cruenta, nonnullae asthmatis species, dilatationes cordis et vasorum;

In abdomine vena porta congestione affecta, symptomata haemorrhoidum et arthritidis atque concrementa, ut vesicae urinariae et felleae calculi gignuntur;

In hepate et liene paratrophia, obstructiones, infarctus nascuntur;

In mucosa intestini vel ventriculi tunica, quae saepius, liene et hepate obstructo, rarius idiopathice congestione affligitur, perturbationes digestionis, et sanguinatio-

nes, ut vomitus cruentus, melaena nascuntur. Vomitus cruentus a gastrorrhagia ita disjungendus est, ut hic morbus, sicut metrorrhagia, idiopathice (Kreysig), ille autem a congestione venosa oriatur.

Kreysig de haematemesi haec docet: »Ventriculi membrana emollita in cadavere inveniuntur, et primordia venarum dilatata atque atras maculas formantia. Adsunt quoque indurationes, intumescentia, atrophia hepatis, pancreatis, lienis. Praedispositi sunt, qui plethora abdominali laborant.«

Degenerationes horum organorum, si quaerimus, quid efficiant, sanguis venarum cum vena porta confluentium impeditur, quin per hepar in venam cavam effluat. At quum pancreas, vel lien, vel ambo obturata ex arteriis nihil sanguinis excipiant, necesse est arteriae breves plus sanguinis ventriculo adducant: itaque quum ventriculus sanguine depravato impletus sit, vasa extenduntur. Interdum ventriculus vel ruptura vel transsudatione sanguinat. Memorabile est, causis sanguinem conflantibus sanguinationem redire, quare concludi potest, sanguinem tardius recurrere, quam affluxus erat.

Sunt, qui dicant, nihil in ventriculo inventum esse. Credo, interdum rem ita se habere, nam congestiones activae sanguinationes, ut e narium, sic e ventriculi tunica mucosa efficere possunt. Peracta autem sanguinatione venae dilatatae non supersunt. Simili modo Kreysig suppressae secretiones, inquit, venarum sanguine malo prolatae, (ut sudores locales) sanguinationes activae actione arteriarum adaucta efficiunt, quae in vomitu cruento frequentiores, in morbo melaena rariores sunt.

In sequenti casu, in policlinico Bonnensi observato,

ulcus ventriculi sanguinavit. Weber, hortor, Bonnensis, valido corpore, sed habitu atrabilario, viginti novem annos natus, me propter vomitum cruentum adiit, mihique narravit haemorrhoidibus sese laborasse, quod idem symptomata significabant. Interrogatus, num sanguis defluxisset, nesciebat, sese comperi, symptomata illa posthac evanuisse, quorum loco postea symptomata lienis extensi se ostenderunt, quod concludi poterat ex illius relatione. Deinde incidit in rotam, hypochondrium sinistrum laedens, egoque aliquot annis post ob sanguinationem arcessitus lienem usque ad pelvim extensum deprehendi. Acidis per octo dies sumtis, deinde nonnullos dies omissis denuo vomitus cruentus accessit, isque tam vehemens, ut aegrotus diem supremum obiret. Sectione facta venae dilatatae et ulcus liene cum stomacho exortum in ventriculo se offerebant, et arteriae duae erant discissae et duo lumina arteriarum erant aperta.

Melaena saepissime ortum ducit à congestione passiva. Naumann hujus morbi sanguinem corruptum a malo chylo, aegrotante liene et hepate derivat. In morbo atrabilario, inquit, ater sanguinis color, dissolutione incipiente, evenit. Quum organis chylopoeticis turbatis sanguis chylo inquinatur, qui hydrocarbonico infectus vi nervorum et pulmonum obstat, ab initio secretio bilis largior, postea autem imperfectior redditur et diminuitur, Bili imperfecta lien, in quo etiam magis crudae res accumulantur, chylum minime assimilare potest. Itaque acida secernuntur, et quidem in intestino propter functionem ibi excitatam. Ab organis relaxatis (fortasse magis a corrupto sanguine) nervorum vis diminuitur, quae res una cum acidis secretis dissolutioni sanguinis favent, ita

ut postremo transsudet. Sectio, pergit, praebet e fusco nigram tunicam mucosam cum vasis tumidis. Sunt, qui se sanguinem atrum expressisse, et alii, qui varices et rupturam adfuisse contendant. Melaena, inquit Kreysig, statum omnino atrabilarium (venositatem adauctam recentiorum) subsequitur. Conditione enim dyscratica natura criticas secretiones in abdomine efficere nititur, ut diarrhoeas criticas, haemorrhoides, febres biliosas, pituitosas. His oppressis, sanguis corruptus (»ein Blut, das schneller in Verkohlung übergeht und zu vielen zersetzten Thierstoff enthält«) in vena porta, liene et hepate conflatur, et tum vehementer propellitur interdum ruptura, interdum transsudatione.

Quaecunque res alibi congestiones passivas et dilatationes venarum proferunt, in cute quoque varices efficiunt. Auctores contendunt, venas, ubi ab arteriis incipiant, saepissime dilatari. Scilicet venae ibi tenuissimae sunt. Quomodo vasa increscant, oculo videre possumus; tardissime enim varix evolvi incipit.

Causa primaria est morbus sanguinis. Quum propter plethoram abdominalem cutis sympathismo laborat, simulque cutis crudis rebus excernendis impleta est, in cute varices frequentiores sunt.

Accidit, ut cutis circulo sanguinis saepe officiatur, vestibus ligatis et aliis rebus. Quibus mechanicis legibus vita diu resistere potest. Membrana enim venarum valida, ut in pueris, non facile extenduntur, sed venoso sanguine adaucto pedum in cute vel crurum, solo sanguinis pondere venas extensas videmus. Majoribus in venis autem varices inter duas valvulas, aut loco valvulae deletae vel disruptae oriuntur. Saepius in venis alicujus ca-

vernae, valvulis carentibus, oriri dicuntur, idque quia plethorae venarum parum reniti possunt.

Pet. Frank casum memoratu dignum refert, quo vena saphena loco menstruorum quotannis intumuit, scilicet quia menstruis instantibus major sanguinis copia ad locum illum ducebatur.

Casum alium cl. Naumann narrat, a le Brun illum observatum, ex quo varix venae saphenae, altero pede disrupta et jam medicata, altero pede iterata sit. Nonne ex hoc casu metuendum est, ne varices, quibus fascia premente medemur, in organis vitae gravioribus regenerentur?

Ut venositas adaucta post febres interdum restat, sic febris ad hunc sanguinis morbum celeriter orientem accedere potest.

Grant, Sell, Stoll, Richter censent, in febri pituitosa sanguinem carbone et venoso sanguine largiorem esse. Quo fiat, ut tunicae mucosae, etsi initio excitatae, postremo relaxarentur. Initio igitur congestiones activae postea passivae adsunt.

In febri biliosa materies biliosae in sanguine accumulantur. Quae materiae ab abundantia venosi sanguinis aut ab bili resorpta proficisci possunt.

Sic quoque res se habet in febri saburrali et atrabilaria, quas cl. Jahn addit.

Nec uberius, quam spatium libelli permittit, scribam, quos morbos Jahn in libro suo (System der Psychiatrik Band I, pag. 86 porro) adjecit.

Primum contendit, febrem intermittentem nihil aliud esse, nisi celerrimam sanguinis venosi congestionem ad organon quoddam abdominis, quae sententia mihi us-

que placuit. Nam si de febre puris meditamur, videmus, ubi evolutio, ibi febrem. Pure vero orto, febris non semper evanescit, sed si pus includitur, nec defluere potest, sanguine ejus absorptione corrupto, febris sustinetur. Vis sanguinis autem aliena ad centrum cerebrospinale ducitur, quod initio laesum, postea vero reagit. Quomodo quum omnes febres, tum etiam accessus febris intermittentis gignitur. Sed si quaerimus, ex qua parte centrum ita afficiatur, ut ubique corporis reagat, typo febris ad abdomen, cujus vita quotidie crescit et decrescit, ducimur. Sed hunc morbum abdominis congestionem venosam, imprimis in lienem et hepar, esse maxime elucet ex venosa horum intumescentia atque etiam e mollitie, quae in maligna febre frequenter observatur. Itidem quod febres, ubi aqua stagnat, frequentissimae et deterrimae sunt, hunc morbum venosum esse testatur. Quum haec organa alio morbo repente invaduntur, simillimae febres exoriuntur. Pure enim in hepate post phlebitidem stagnante, febris intermittens traumatica oritur, nec dissimilis febris vesica inflammata existere potest.

Porro Jahn affirmat, quos morbos Hildenbrand natu minor sepses locales, alii vero dissolutiones scorbuticas nominaverunt, hos ex venosi sanguinis conditione prodiisse. Si morbus, de quo disseritur, usque ad summum gradum auctus est, gangraena ibi venosa oriri potest, quippe gangraena vasorum mors est. Si illas conditiones cum scorbuto et typho, inquit Jahn, comparamus, dubium non est, quin huic sanguinis morbo adnumerandae sint. Sunt gangraena pulmonum, cujus primordium pneumonia venosa sit, putrescentia uteri, stomacace, dysenteria Autenriethii scorbutica, dissolutiones

hepatis atque lienis putridae, febribus malignis ortae, quae in tropicis regionibus intensiores et frequentiores sint; praeterea anthracem malignum, gangraenam nosocomialem cum illis confert.

Ex his, quae de natura venositatis adauctae, quae dicitur, jam disserui, apparet, sanguinem venosum, quum quisquiliis ita corruptus sit, ut organicos nervos debilitet, ibi facile stagnare, uti inflammatione. Itaque verisimile est, illam infirmitatem, ut post inflammationem, usque ad mortem vasorum, id est gangraenam, progredi posse.

Etiamsi hic morbus venosi sanguinis in venis gignitur, quia modo quisquiliae carbonescentes e corpore ejici non possunt, modo etiam venis in corpus excipiuntur, tamen fieri non potest, quin sanguis arteriosus inficiatur. Postremo sanguis arteriosus conditionem venosam praebet. Quae quum sensim sensimque gignitur, inquit Jahn, scorbutum nominamus, quum autem repente, febrem typhosam.

Natura typhi revera morbo illi sanguinis venosi est similis. In regionibus enim humidis et autumno, hieme, vere calido atque humido incrementum aeque ac ille facit. Sanguis quoque nigrior et dissolutus est; dilatationes venarum, sanguinationes atque inflammationes venosae nec non dissolutiones hepatis et lienis venosae apparent. Lien enim sanguine atro, quem Bonnet cum pice foetida confert, tumet et partim emollitus est. Accidit, ut morbus abdomen et pulmones, ut venositas adaucta, congestione venosa libenter invadat. Scorbutus maximus gradus venosae dyscrasiae lente orientis; nam per omnia ejus stadia procedit. Incipit revera a venosa congestione; dein, quum quisquiliis sanguinis non solum nervus sym-

pathicus, sed etiam totum nervorum systema cum illo affectum est, nutritio turbatur, calorque diminuitur et membra lassantur. Postea sanguis magis magisque dissolutus transsudat. Tum petechia, denique scorbutus perfectus existit.

V I T A.

Ego Henricus Mockel natus sum oppido Lechenich die XVII. m. Novembris a. MDCCCXV patre Cornelio et matre Catharina e gente Grass, Coloniensibus, quos adhuc inter vivos maxima cum pietate veneror. Fidei addictus sum catholicae. Gymnasium catholicum, quod Coloniae floret, per annos IX frequentavi. Autumno anni MDCCCXXXVII in almae universitatis Fridericae Guilelmae Rhenanae civium numerum receptus sum a rectore t. t. magnifico Ill. Welcker. Rei medicae studiosis me adscripsit Ill. Harless, t. t. gratiosi medicorum ordinis decanus spectatissimus.

Quibus per tres annos et dimidium lectionibus interfui, hae sunt:

I. Philosophicae:

Logica et psychologia apud Ill. van Calker; physica apud Ill. Plücker; botanice cum excursionibus conjuncta apud Ill. Treviranum; mineralogia apud Ill.

Noeggerath; zoologia apud Ill. Goldfuss; chemia experimentalis, phytochemia et zootomia apud Ill. Bischof; Lucretius de rerum natura apud Ill. Harless; anthropologia apud Ill. Nasse.

II. Medicae.

Anatomia generalis et specialis apud Ill. Mayer et Ill. Weber, qui quoque in cadaveribus secandis duces mihi fuere; encyclopaedia et methodologia artis medicae, pathologia generalis et semiotica, et historia artis medicae saeculi XIX apud Ill. Naumann; materia medica apud Ill. Albers; chirurgia, morbi oculorum, anatomia chirurgica, ars fascias applicandi apud Ill. Wutzer; therapia generalis et specialis, de educando medico, de experientia et experimento apud Ill. Nasse; ars obstetricia, de instrumentis obstetriciis, de morbis infantum Ill. Kilian.

Duces mihi fuere Ill. Nasse in clinico medico propaedeutico et practico; Ill. Wutzer in clinico chirurgico et ophthalmiatrico; Ill. Kilian in exercitationibus ad phantoma instituendis et in clinico obstetricio.

Sub finem mensis Maji anni praeterlapsi in alma litterarum universitate Berolinensi a rectore magnifico Ill. Lichtenstein in civium academicorum numerum relatus, a spectatissimo medicae facultatis decano Beat. Osann in medicorum ordinis album inscriptus sum. Praelectiones physiologicas apud Ill. J. Mueller, clinicum medicum et chirurgicum apud Cel. Truestedt; ophthalmiatrico-chirurgicum apud Ill. Juengken hic frequentavi.

Quibus viris maxime de me meritis gratias quas possum maximas habeo semperque habebo.

THESES.

1. Summum curae morborum chronicorum in vitae ratione ponendum est.
2. Maxima medicorum aberratio homoeopathia.
3. Tenotomia sola plerumque nil valet.
4. In unaquaque febre sanguinis mixtio mutata.
5. Vasa abdominalia sunt in oculo haemorrhoides.